



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **S. Vincentii Lerinensis Galli, Libellus Verè Avrevs Adversus profanas Hæreseōn novationes**

**Vincentius <Lerinensis>**

**Coloniae, 1652**

Novelli dogmatis inductione quantum invehatur calamitatis. Arrianæ perfidiæ exemplo monstratur, Caput VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55177)

*Novelli dogmatis inductione quantum  
invehatur calamitatis. Arrianorum  
perfidiae exemplo monstratur.*

## CAPUT VI.

**I**tem, quando Arrianorum ve-  
nenum, non jam portiuncula  
quandam, sed pene orbem totum  
contaminaverat, adeo, ut prop-  
ter cunctis Latini sermonis Episcopis  
partim vi, partim fraude deceptis  
caligo quaedam mentibus offunde-  
retur, quidnam potissimum in tanta  
rerum confusione sequendum fore  
ret; tunc quisquis vetus Christi ama-  
tor & cultor exstitit, antiquam  
novellae perfidiae praeferebat, nihil  
contagii ipsius peste maculatus est.  
Cujus quidem temporis periculo satis  
superque monstratum est, quantum  
invehatur calamitatis, novelli dog-  
matis inductione. Tunc siquidem  
non solum parvae res, sed etiam ma-  
ximae labefactatae sunt. Nec enim  
tantum affinitates, cognationes, &  
amicitiae, domus, verum etiam Ur-  
bes,

bes, populi, provinciæ, nationes, u-  
 niversum postremo Romanum im-  
 perium funditus concussum & e-  
 motum est. Namque cum prophana  
 ipsa Arrianorum novitas, velut  
 quædam Bellona atq; Furia, capto  
 prius omnium imperatore, cun-  
 cta deinde palatii culmina legi-  
 bus novis subjugasset, nequaquam  
 deinceps destitit universa miscere  
 atque vexare: privata ac publica, sa-  
 cra prophanaque omnia, nullum  
 boni & veri genere discrimen, sed  
 quoscunque collibuisse, tanquam  
 de loco superiore percutere. Tunc  
 temeratae conjuges, depopulatae vi-  
 duæ, prophanatae virgines, monaste-  
 ria demolita, disturbati Clerici, ver-  
 berati Levitæ, acti in exilium sacer-  
 dotes; oppleta Sanctis, ergastula,  
 carceres, metalla quorum pars  
 maxima interdictis urbibus protru-  
 si atque extorres, inter deserta, spe-  
 luncas, feras, saxa; nuditate, fame,  
 siti affecti contriti & tabefacti sunt.  
 Atqui hæc omnia nunquid ullam  
 A. 6. aliam.

aliam ob causam, nisi utique dum  
 pro cœlesti dogmate humana  
 superstitiones introducuntur: dum  
 benè fundata antiquitas scelestâ  
 vitate subruitur: dum superiorum  
 instituta violantur; dum rescinduntur  
 scita Patrum; dum convelluntur  
 definita majorum: dum sese in  
 sectatâ atque incorruptâ vetustatis  
 castissimos limites profanæ ac novellæ  
 curiositatis libido non continet?

*Quod fidem Confessorum & Martyrum  
 denegare non possumus, quarum  
 victorias predicamus: & à quibus  
 non partis, sed universitatis suscepta  
 est defensio.*

## CAPUT VII.

Sed forsitan odio novitatis, & amore  
 vetustatis hæc fingimus.  
 Quisquis hoc æstimat, beato saltem  
 credat Ambrosio, qui in secundo  
 ad Imperatorem Gratianum libro,  
 acerbitatem temporis ipse deplorans,  
 ait: Sed jam satis, inquit, omnipotens